

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. XLIX.

M. DAVID VASSE, M. ANTONII PEPIN, Doctoris Medici, Regis Consiliarii, & in Portu Brestensi Medici primarii vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An cæteris Medicinæ ancillis, præstet μαγειρικὴ?

I.



QUOD tempore cætera præit, alias artes antecellit utilitate, ad vitam pluribus valet auxiliis, præstantius manet. Sic vexilla μαγειρικὴ pangit. In alimentorum electione, eorumdem præparatione, imò & mistione tota consistit; ità ut condiendi gnara, parca tamen sit & suis in operationibus

ornamenta curet; gustui ergò saporibus, naribus odore non solùm suffragatur, sed oculos diversis ex arte coloribus lætificat; Ars ista admodùm salutaris. Væ eâ abutentibus, Helluonibus, Gulosis, Voracibus, & quibus venter in votis est. Hujusce universæ artis munus est, ut imprimis nutriendo non tàm voluptatis quàm sanitatis habenda sit ratio; & ad valetudinem potissimùm alimentorum confectio atque præparatio sit accommodanda. In conviviis quidem, omnium accumbentium, aut certè Procerum, palato studet convivator; at Medicus alimentorum salubritatem præsertim requirit in curando. Coquus debet esse peritus, laboriosus, laudis cupidus, gustatu excellens, sed maximè Medico obediens; quâ ratione Architecto Operarii, eâdem Medico Magirus, Pharmacopœus, Chirurgus inserviunt. Primo siquidem præscribit ac imperat qui victus ac quo tempore exhibendus; illi quo pacto præparandum exhibendumque remedium; huic quæ vena sit secanda, quantum sanguinis mittendum: &c.

I I.

ARS, quæ ab orbe condito deprehenditur in organicis corporibus in quibus electio à nonnullis, ab aliis electio & præparatio simul, à quibusdam hæc utraque, & mistio fiunt spontaneæ, naturalis audit. Hoc non latet sapientem qui naturæ arcana meditatus, attentè examinat: plantas considerer in origine, nativitate, incrementis, eas miratur diversæ diversos terræ succos suscipere in sui alimoniam quæ pro diversâ plagæ, regionis, soli, solisque aspectûs, sitûs positione variatur. Infinita hujusce electionis exempla & ratione & observatione probantur; quæ ad præparationem usque, ut opinamur, apprimè deducuntur. In animalibus verò trium operationum exempla ob oculos ponuntur ità, ut probatio & autopsia idem: sic in bove, cane & aliis diversis animalibus quæ eligunt, ad cibum & medicamentum: in cane, fele, avibus, quæ ad eosdem & diversos effectus eligunt & præparant; in avibus & aliis quæ dùm pullos enutriunt, miscellanea evomunt ex arte præparata. Ex

ratione & intelligentiâ prodit altera quæ Homini propria, quam tamen ſufficit corporibus organicis aut cicuratis aut ſativis pro re natâ, loco, tempeſtate, diverſam. Hanc antiquiſſimam extitiſſe legitur apud primos tum ſacros tum prophanos Authores triplici linguâ ſacrâ, Hebræâ nempe, Græcâ atque Latinâ: primò quidem in Hebræis codicibus, Exordium ab Adamo incipit *Geneſeos ſecundo* qui quidem in voluptatis horto operabatur, eligebat præparabat certè, & miſcebat forſan ea quibus utendum tradiderat JEHOVA. Deindè ejuſdem libri 3°. capite, patriæ exul in ſudore & labore comedit panem; & cap. 9. ejuſdem libri extant hæc verba: *omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, &c.* Quis craſsâ minervâ non ſentit omninò artis alimentorum eligendorum, præparandorum, atque conficiendorum, antiquitatem, neceſſitatem? Ideò inter omnia infinita propemodum probationum exempla quædam veniunt in quibus & antiquior hujus artis exiſtentia, ſed & utilitas & dignitas eminet ex perſonarum eam exercentium nobilitate: promiſcuè expono plures ex pluribus codicibus perſonas origine, ſcientiâ & virtute præclaras in antiquiſſimis retrò temporibus. Cætera mitto.

Sara Abrahami conjunx quæ illius juſſu ſtatim ſummâ cum feſtinatione ex tribus ſatis farinæ ſimilæ panes ſubcinericios ſeu placentas confecit, deindè vitulum ſervo ſuo dedit ut pararet id eſt jugularet coqueret. In libro Judicum legimus Gedeonem in apparandis epulis Angelo, & Coqui & Piſtoris & Dapiferi munere functum fuiſſe. Quid non legitur apud Hebræos de coquendi modo ad uſum menſæ, altaris, & Paſchatis feſtum? Quæ electio in diſtinguendis & diſtinctio in eligendis & ſeligendis animalibus & partibus eorum? Quæ prudentia & animi attentio in horumce omnium præparatione, condîtione, coctione, miſtione, manducatione? Totum vetus teſtamentum ſcatet exemplis & ſi omnium recenſeretur Hiſtoriarum ſeries, immenſum nequiret tantum & tale monimentum. *Secundò* ſi linguâ Græcâ quæ extant proferrentur, nedum res præcipiti paſſu ruens obiret nec finiret æternùm. Quid non reliquêre ſcriptum de hac liberali arte, Ariſtoteles, Hippocrates, Galenus, Plato,

Ariſtophanes, Athenæus, Chryſippus & alii quibus honori fuerunt Magiri; quot diſtinctiones inter eorum diverſa munera? *Tertiò* nec inferiores ſunt Linguâ latinâ Romani in evehendâ augendâque atque amplificandâ arte iſtâ quam apprimè colebant; nec terendum tempus in referendis eorum moribus. Artis noſtræ antiquitas omnibus patet.

I I I.

QUOD gratum, utile, aut neceſſarium ſe habet, augetur eundo; ad ſcientiam & artem pervenit adhibitâ methodo: ſic prima Medicinæ famula quam & filiam natu majorem uſu, ratione, experientiâ, fortè fortuitis feliciter genuit, in ſanorum & ægrotantium rem, tanquam arbor ingens aliquandò in ramos, folia, fructus luxuriatur immanitate tantâ, ut miti & miſericordi medico illud recidendum, ne quid nimis, atque collucandum quod caſtigare non pote. Si præſide medico. ejus ſuavitatem, utilitatem, neceſſitatem conſideres & ornamenta, quid in utroque & morbi & ſanitatis ſtatu præſtantius; quod erat injucundum, gratum, inſulſum verò, hac arte ſapidum efficitur, & quod odore nares injucundè carpebat, nunc ſuaviter olet: hæc metamorphoſeωn ſeries ubique & ſemper elucet in hac arte in qua artifex ſeſe omninò peritum prodit, ex mutatione ingrati cibi in quid omnes ſenſus alliciens. Utilitatem hujus artis (quæ in medico ſcientia conſtat, in miniſtro ars verſatilis) longè latèque diffuſam proſpicies ita ut non ſolùm ad vitam communem & ordinariam ſe extendat ſuſtinendam, reſtaurandam, ſed & ad ſanitatem conſervandam, reparandam, prorogandam accedat ſuis muneribus; & dum ſeſe docilem præbet Medico multifariam multiſque modis inſervit rei publicæ; modò enim annonas ſervat, modò auget; auget quidem ex præparatione ſolâ, aliquandò ex miſtione, ex condîtione nonnunquam & quod idèm eadem operando ſervatur, favet iterum augmento dum utendum; in utriuſque utroque defectu ad alia extraordinaria, cogente penuriâ frugum ſeſe vertit commonſtranda, commentanda, com-

molienda &, quæ dùm tempus fallunt, vitam languidam protrahunt, sustinent utcumque vires, ad eum tandem ducunt statum, quo aut messis redeat, aut rates appellant, aut divitiæ suppeditentur; quod si morbus adsit, dolores lenit, infringit symptomatum ferociam, & datâ occasione, sanitati patulum aperit aditum. Nec immergitur aliquando ejus necessitas in suimet utilitate, quæ aliquando tam absoluta & urgens ad curationem morbi venit deficiente Pharmaciâ, & Chirurgiâ exulante ut sese offerat tanquam primarium imò solum remedium & conditionem sine qua non. Nonne quotidie ex ejus penu petuntur alimenta medicamentosa, & ejus consortio nonne ex medicamentis resarciuntur alimenta. Quis hominum sic vice versâ sanis, languentibus, ægris, vigentibus suffulciet vitam, sanitatem, valetudinem instrumentis ex hac arte desumptis quibus nec ornamenta desint? Medicus, cui omnia jure ac meritò suffragantur, cujus omnia conservandi munus, cui itaque omnia redeunt regenda suo arbitratu, ducenda imperio, & à ministro applicanda.

I V.

ILLAM si aspicias materiem quæ in vegetantium & viventium alimoniam cedit, fæcunda seges; imò omnifera, omnigena ubique & semper; si omnium animalium homo solus in voracitatis exemplum proferatur quid non ore ingerit alvo, hic gumas insatiabilis ad omnia omnicarpus extendit manum suam; tres familias vorat: nulli plantæ parcit, aut si quædam minus gustui aut vitæ ceu sanitati conferunt, quasdam saltem partes earum ingredi manduca sollicitat: Radices stipites ligna ramos cortices folia flores fructus semina & omnia quæque in voraginem detrudit: animalium genus omne & volatilia cœli, & pisces maris & quadrupedantia terræ, serpentes reptilia vermes muscæ & omnia quæ moventur ipsamet & eorum ossa, pili, pelles, lanæ, plumæ, carnes, viscera, sanguis, excrementa, recrementa, nihil horum excluditur, sed excipitur in usum? Ast forsan intacta linquet fossitia?

Nullibi gentium locorum & temporum ; quasi memor suæ sed antiquæ condemnationis Hæres Adami terram deglutit, & omnia metalla mineralia cretas bolos lapides saxa & cætera id genus aut in cibum, aut alimentum medicamentosum, aut in condimentum admittit nullo excepto. Si eduliorum multitudinem, eorum innumera specierum genera, varia diversaque omnia quæ alimentorum seriem subeunt, comparare conferreque sit cum arte nostra, quæ hæc omnia aut seligit aut præparat, condit, conficit, enormis occurrit compages & cognitionum & praxeωn : quantæ & quot diversarum parandi alimenta formularum exurgunt rationes? Quæ vastitas in Theoria, in Operatione quæ diversitas, in utraque quæ communis fæcunditas, prolixitas ; cogitare horret præ multiplici hujusce scientiæ practicæ ambitu, complectitur omnia & neminem nisi Medicum decet, ni per fas & nefas, cibaria, quod peccatum, ignaro, stupido, conficienda, imò imperito, ideoque & improbo committantur : non negligenda hæc quæ tam antiqua, utilis, necessaria & ampla est scientia : imò colenda augenda : ipsa longiùs patet Pharmaciâ & aliis quibusque ad vitam & sanitatem auxiliis : si admittantur in hoc loco hortulanorum, veterinariorum, & omnium in conviviis coquorum munera, memoria & si tenax deficeret : Medicorum teneamus consilia, præcepta, inventa ; quot ex iis oriuntur varii cibos conficiendi modi ; quæ combinatio ciborum, qui modus, quæ mensura, quæ conditiones, quæ bona inde sano, ægrotanti, cuique sexui, ætati, exurgunt opportunè : si verò in culinâ abest artifex sed coquus inexpertus operetur quot mala inde manent homines, aut ingrata sunt edulia, aut malè præparata aut conditiones nimiæ aut deficiunt, nimiùm tosta sunt hæc, illa insufficienter assata, non mistio sed farrago, ubique confusio, pernicies. Ast medicus hic loci saccharum, ibi sal culinarium, mel, piper, cinnamomum, aut omnia aut quædam illorum aut nulla ; hìc quæ ciborum distinctio, quæ dosis in miscela ; qualis ordo, ordo in apparatu, ibi qui gradus macerationis, moliture, coctionis ? &c. Hinc artis nascitur agendi infinita series quæ methodo syntetica eget in medico, in ministro analiticâ valet. Si inter apparatus ornamenta concilientur, grata fiunt

oculis, inde ſapor & odor ad ciborum præſentiam colore, ſymmetria, figuris; excitantur inde appetitus, facilior digeſtio: cùm hominum varia ſunt temperamenta, guſtus, appetitus, valetudo, varia & edulia apponenda, diverſa guſtatu, odore, ſapore, colore, figura, doſi, conditione, calore, frigore &c. hanc autem diverſitatem & varietatem in condiendo, coquendo, præparando, miſcendo, ad carnes, piſces & legumina ſolummodo ineſſe haud exiſtimes, quæ de duris aut ſolidis expoſita ſunt eduliis, plura enuncianda veniunt de liquidis aquâ vino zito ſicerâ pomaceo piraceo ptizannâ & pluribus aliis & aliis potandis liquoribus ſive ſimplicibus ſive compoſitis & miſtis ſive condimento alteratis qualia ſunt *ratafia* omnium ſpecierum, ſpiritus vini, aquavitæ, aquæ ſtillatitiæ, edulcoratæ, decoctæ, item *caffé*, *chocolat*, hordeata, &c. quorum omnium nomina deſcribuntur in amplis catalogis qui proſtant apud caupones & iſtorum liquorum venalium confectores aut venditores. Nec finiret in numerando rerum omnium varietas circa ea quæ ſunt artis ni ſuppleret cogitandi ratio.

V.

RIDEBUNT quidam Medicum de culinâ ſatagentem: Rideant multò plures ad nauſeam uſque nobis, ad ignominiam ſibi. Prætexent: de minimis non curat Prætor, nec de culinâ debet Medicus: imò quæ in moralibus minima & parvi facienda, in Medicinâ magna & multi facienda: objicient culinam non eſſe miniſtram Medicinæ; & ad eam hoc titulo pertinere aut eſſe aliquam ejus objecti partem negabunt; at nos jure ac meritò affirmabimus hanc artem in miniſtro, in medico ſcientiam, eſſe antiquiſſimam, utiliſſimam, ampliſſimam, quæ ſanitati conſervandæ, vitæ ſuſtentandæ, morbis ſanandis aut evitandis repellendiſque admodum inſervire novimus judicamus. Cavillatores expetent atque requirent in hac theſi, jocandi causâ, gulæ irritamentorum formulas? Non deprehenduntur hìc loci: ad quid ergo dicent & cui bono hæc Theſis; ad arcendum profanum vulgus in ſuo de Medicinâ judicio; continendos helluones in ſua ingluvie; delicatos in ſua cupediâ; abſtrahendos à ſua ebrietate bibaces;

ad excitandum in anorexiâ appetitum, fitim in febre fedandam; macilentum ab ægritudine debilem, & laffum diverfis laboribus, reftaurandum refocillandum, ad pauperes impensâ parvâ nutriendos; divites lautè magnificeque excipiendi convivas rationem docendos in conviviis & feftis folemnibus, quæ religio, mos, imperat aut tolerat; ad medicamenta & verfa vice alimenta conficienda; ad utraque fub diverfo refpectu injungenda proponenda mutanda: fed ubinam funt hæc omnia dicent lectores? Ne unum quidem verbum in hacce thefi de his omnibus. Si attentè legerint invenient, fi tamen formulas menfæ ferculorum defiderant, per tempus non licet. neque hîc locus, nec occafio; non fufficeret oleum, eant potiùs ad venditores, ad propolas, caupones, coquos triviales: at medici non ad ingluviem, gulam, luxuriem proponunt confilia fed ad beatam vitam, fenectutem prorogandam, juventutem continendam, juuandos homines in fuis laboribus, pios in virtute, in jejunio & oratione, in ftudiis & pernoctationibus; ægrotantes in curandis morbis, &c. fed Pharmacopœi & Chirurgi reclamabunt contrà culinam. Quid juvabit? Soror eft natu major, opibus ditior, in quoque cafu aut utilior aut concurrens, quæ fæpiffimè earum non eget auxiliis, ambæ verò non vice versâ. Tandem nolunt quidam hortulanorum & veterinariorum artem effe Culinam: nolint velint exiftit, & ea eft quæ ab iftis artificibus exercetur in utilitatem, neceffitatem plantarum & animalium. At quid neceffe hanc artem repeti ab origine mundi, & ad plantas hanc artem adfcribere? Ad hujus fcientiæ practicæ luculenter demonftrandam & invictè probandam *primò* antiquitatem *fecundò* utilitatem imò neceffitatem, *tertio* amplitudinem, unde concluditur,

Ergo cæteris Medicinæ ancillis, præftat μαγειρική.

Proponebat Parifiis LUDOVICUS-ALEXANDER GERVAISE, Ambianenfis, Doctor Medicus Remenfis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à fextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerfitatis & Facultatis Medicinæ, Typographi, 1749.